





Photo 61

Photo 61  
1/10/1900  
1/10/1900  
1/10/1900

Photo 61  
1/10/1900  
1/10/1900  
1/10/1900



~~Biblioteca Universitaria  
GRANADA  
Sala A  
Estante 31  
Tabla \_\_\_\_\_  
Número 110~~

~~4  
H-25~~

laja 2-65







Comienzan los numeros desde .1. asta 25, y luego vueluen  
à començar desde el numero .1.º y como estan se an de  
coger.



Optimum of ...  
a ...  
copy



Del Sr. Pedro de Montenegro

Del Colegio de la Compañía

Memoriales, 1  
Hr de Granada. B.B.C.

Tratados y varios Papeles, y Decretos

Pontificios

en favor del Misterio de la purissima Concepcion  
de Nuestra S.<sup>a</sup>

L.

Nuevas Cartas de Reyes, Reynas, Princesas  
assi Ecclesiasticas, como seculares

escritas a los Summos Pontifices en diferentes  
ocasiones

pidiendo la definicion del misterio de la  
Concepcion de Nra Señora

Tomo Primero.



Indice de los Papeles esta en la op. siguiente.

Notiene papel alguno prohibido  
por el ex purgatorio de Ind.  
o decretos q<sup>e</sup> tenemos de lo q<sup>e</sup>  
an salido hasta el año  
de 1724.

Labado

sea el S. Sacramento y la immaculada  
Concepcion de la Virgen Maria nra S.<sup>a</sup>  
concebida sin pecado Original.



*[Faint, mirrored handwriting, likely bleed-through from the reverse side of the page]*

*[Faint, mirrored handwriting, likely bleed-through from the reverse side of the page]*



*[Faint, mirrored handwriting, likely bleed-through from the reverse side of the page]*



2

*Índice*  
*de los Papeles de este Tomo.*





Mr. [unclear] [unclear]  
[unclear] [unclear] [unclear]











Diolo suautor al Papa Paulo V. año 1615.

67

ca. (5)



BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

**SANCTISSIMO  
DOMINO NOSTRO  
PAULO PAPÆ QVINTO  
PONTIFICI OPTIMO  
MAXIMO.**

**FRATER FRANCISCVS A SANCTO**  
*Ioseph Suesia Ordinis Minorum Discalciatorum  
Regularis obseruantia, Penitentiarius in  
Ecclesia Lateranensi.*





Beatissime Pater.

**P**ETRÆ es successor, quia Petri, & ut Petræ firma sunt quæ firmas: quæ te non nititur cōstructio, corruit. Ædificas, & destruis; euellis, & plātas. Post te Petrā petras adduxisti Virgini, prætiosas in cōspectu illius, hominumq; obtutibus spectabiles. Cōstruxisti, ædificasti Dominae cœlorum Sacellum inæstimabile, in æuum firmum, cunctis terrarum orbis Virgini dicitis, tantò sumptuosius, quantò constructor ceteris eiusdē Beatissimæ Deiparę obseruantior, deuotiorque. Destruere nunc, qui Mariæ ædificasti tabernaculum, Satanæ arcem in tantæ Virginis odium constructam, pro tot fidelium ruina fabricatam. Euelle zizanas, pacis planta semina, Princeps pacis; pascis qui Christi oues, pascantur, fac pascua pacis: vnaque vnum in cunctis iube Pastorem De Virginis Conceptione conclusionem, propositionem vè suscipe benignè, legere dignare; inuenies fortè quid gratū, verum, salubreq; ad Virginis gloriam, Ecclesię bonum, & humilis auctoris optatum.



# CONCLUSIO SIVE propositio.

*Si sententia illorum, qui infallibilitatem iudicij Ecclesie in canonizatione sanctorum asseruerant, tenenda censeatur, prohibenda est omnino asserentium sanctissimam Virginem Mariam in originali peccato fuisse conceptam, irreprehensibili manente Ecclesie auctoritate, aliter hactenus permittente.*

§.I. Vnde solemnizatio mysterij pro tota Ecclesia instituta canonizationis fortiatur rationem.



Conclusionis necessitas patet, quia festum institue-  
re Ecclesiam in mysterij alicuius honorem proponendo illud vniuersis fidelibus celebrandum, atque colendum, est, suo modo, canonizare tale mysterium velut quid sanctum, ac veneratione dignum; ergo instituta solemnitate Conceptionis Virginis Mariæ ab Ecclesia, ab vniuerso Christiano populo colenda, resultauit eadem Conceptio canonizata velut sancta. Sed de sancto, vel re ab Ecclesia pro sancta canonizata dubitari non licet, minusque negare quid sanctum extiterit; ergo, neque de Conceptione Beatæ Mariæ licebit.

Primum antecedens probatur: nam essentialia canonizationis est ex decreto Ecclesie, vel Romani Pontificis vniuerso orbi proponi alicuius venerandum pro sancto, Catalogo sanctorum illum adscribendo, instituendoque festum; indeque sequitur concessum in illius honorem, siue memoriã, missas Deo offerri, tēpla & altaria erigi, &c. vt deducitur ex sententia Innocentij in cap. audiuimus de reliq. & ven. sanct. & communi modo diffiniendi canonizationem, tam Canonistarum, quàm Theologorum, de quorum numero vnus est (et si in pluribus vnicus) Illustrissimus Cardinalis Bellarminus tom. 2. controu. lib. 1. Sed idem fit, atque conceditur, quando instituitur aliquod festum in honorem alicuius mysterij, vt pote de Transfiguratione, & Ascensione Domini, de Visitatione, Præsentatione, ac Natiuitate Virginis Mariæ, & de eiusdem Conceptione, vt patet experientia: cum istæ omnes festiuitates Catalogo sanctorum, ac solemnita-

*Argumentum.*

*Primum antecedens.*

*Prima consequentia.*

*Secundum antecedens.*

*Secunda consequentia.*





tum mysteriorum canonizatorum sint adscriptæ vniuerso Christiano cœtui celebrandæ propositæ, propria illarum ordinata ab Ecclesia officia, Missæque, & illarum titulis dicatæ Ecclesiæ, necnon altaria: ergo æquualet canonizationi.

Probaturscundò: nam sicuti solus Romanus Pontifex potest canonizare Sanctû, vt cû Panor. & Imola in cap. final. de ferijs, tenent cõmuniter Canonistæ in cap. 7. de reliq. & vener. sanct. ita & in solo Romano Pontifice residet potestas instituendi festa pro tota Ecclesia, vel sit quoad officium, vel quoad cessationem ab operibus seruilibus, vel quoad vtrumque simul, vt deducitur ex cap. vnic. de reliq. & vener. sanct. lib. 6. vbi festa duodecim Apostolorû, quatuor Evangelistarum, quatuorque Ecclesiæ Doctõrum seruanda instituuntur, ex quibus (Apostolis exceptis) sancti Marci tantummodò festiuitas ab vniuersa Ecclesia ritu Dominicæ in obseruantia colitur, de cæteris verò, quoad officium tantum solemnitatẽ agi, plurimum est Ecclesiarum consuetudo, vt ex Archid. aduertit Sylu. in sum. verb. Dominica versic. tertium, quia cû vtrumque simul, vel disiunctim pertinere possit ad conuenientem vsu religionis, & ad vnitatem Ecclesiasticam, vniuersalis etiam Ecclesiæ pastoris solius est, talia decernere, vt dixit Suarez tom. de relig. lib. 2. de diebus fest. cap. 3. n. 2.

Adeoque verum est festum instituere idem esse, ac canonizare, vt concessa Episcopis ab Ecclesia facultas ad instituendum pro propria diœcesi festum, per cap. fin. de fer. nullatenus extendatur, nisi quomodo ad festum canonizatorum iam ab Ecclesia Romana, vt declarauit Gloss. in cap. vnic. de reliq. & vener. sanc. lib. 6. & notanter Sylu. in sum. verb. Dominica, vers. primum: docuit, aliter prohibitum esse Episcopo, *Cum Episcopus* (inquiens) *canonizare non possit*: ergo quia institutio festi (etiam quoad particulare Ecclesiam) canonizationi æquualet, quanto amplius quoad vniuersalem? Adest igitur Dominicanus iste Doctor, qui institutionem festi canonizationi parem insinuat.

Probaturscundò, nam quemadmodum ad canonizandum virum sanctû præexiguntur vera testimonia de illius existentia, & vera sanctitate glossæ, & Canonistæ in c. 1. de reliq. & vener. sanct. extra, & in 6. (quibus discussis, si dignus canonizatione inueniatur, tantus illi decernitur honor) ita & eodem modo ad instituendum festum de aliquo mysterio ab vniuersa Ecclesia celebrandum præexiguntur vera testimonia, & quoad eius existentiam (scilicet quod fuerit) & quoad eius qualitatem, nempe quòd extiterit aliquod sanctum adoratione ac veneratione dignum: & quemadmodum ad canonizandum virum sanctum Ecclesia recipit attestations hominum circa virtutes, & miracula, ita ad canonizandum mysterium exigit auctoritates, & sententias



tias scripturarum, ac doctorum, vt proposita testantur exempla de mysterijs ac solemnitatibus Domini, necnon Virginis Matris. Miracula verò, si tam in mysterio in scripturis non expresso, quàm in homine canonizando desiderari dicatur: præcesserunt quoque ad prædicandum Conceptionis festum institutum, vt affirmat Baron. in annot. ad Martyr. sub die 8. Decembris. Imò Arnaldus Vuyon libr. 5. ligni vitæ cap. vltim. refert tempore Caroli V. Francorum Regis an. 1375. fuisse institutum festum Præsentationis Beatæ Virginis eadē de causa, & eodem miraculorum genere, quo Conceptionis eiusdem festum ab Anselmo Priore fuerat institutum. Et sicut præcipua infallibilitas iudicij Ecclesiæ, seu Romani Pontificis circa canonizationem sanctorum non tam nititur testimonijs hominum, (cùm sint fallibilia) quàm instinctu Spiritus sancti, qui non permittit errare Christi Vicarium in canonizatione sancti (ex sententia D. Thom. quodl. 2. q. 7. art. fin. in resp. ad primū, sic ex paritate rationis infallibilitas iudicij Ecclesiæ circa canonizationē alicuius mysterij in sacro textu nō adeò expressi, non tam nititur iudicio Doctorum sentientium ex Sacræ Scripturæ locis, vel patrum scriptis; atq; rationibus veritatem, sanctitatemque canonizandi mysterij (cùm possint decipi) quàm instinctu Spiritus sancti, qui non sinit errare totius veritatis Doctore (qualis est Romanus Pontifex) in religionis negotiū vniuersalē Ecclesiam concernēs, vtifatetur Ioan. Viguerius Theologus Dominicanus, qui in lib. institutionum, cap. de peccato originali adstruēs ex autoritatibus Sacræ Scripturæ immaculatam Virginis Conceptionem posse constare habuisse priuilegium, *Maximè autem (inquit) ex autoritate Ecclesiæ, quæ non potest errare.*

Si verò dicatur, minimè constare de prædicta discussione, præuia ad institutionē dicti Conceptionis festi: Respondetur (omissa quæstione illa, An inconsultis Cardinalibus, ac sapientibus, possit Romanus Pontifex Canonizare) minimè requiri, quod constet; sed quod institutio festi ab Ecclesia proposita appareat: non enim nobis constat de indagatione ab Ecclesia facta ad quam plures sanctos ad scribendum sanctorū Catalogo, pro quibus officia, & solemnitates instituit, ac per vniuersum orbem celebrat: & nihilominus maximè fatuitatis esset, illos fuisse sanctos negare, reddente Ecclesiæ autoritate rem indubiā plusquàm plurimorum quantumcūq; sanctorum scripta possent: at non deest qui dixerit, dictum Conceptionis Virginis festum fuisse institutum exacta præiuncte discussione, prodi-





17.  
tis in medium sacrae Scripturae testimonijs, prauij sive fidei  
precibus, ut testatur Card. Baron. in annot. tom. 12. sub ann.  
7. Innoc. 2. pag. 156. lit. D. E.

Probatum quarto, auctoritatibus sanctorum, & primo Ildelphoni Archiepiscopi Toletani in lib. inscripto, *Contra eos, qui disputant de Virginitate, & Purificatione Beatae Mariae*, ubi ad convincendum haereticos negantes eandem Virginem ab omni peccato immunem mundo fuisse ortam, efficacius, quo utitur argumento, est: Quia auctoritate totius Ecclesiae iam tunc temporis ipsius Virginis colebatur Natiuitas: demonstrando, quascumque pro sanctissimo Deiparae ortu rationes adducendas Ecclesiae solius de ipsius Natiuitate veneranda superare decretum. Quemadmodum enim si de beatitudine alicuius orta fuisset dubitatio, sed daretur utique, si ab Ecclesia vniuersis fidelibus proponeretur venerandus: ita de veritate cuiuscumque mysterij (vel quoad existentiam, vel quoad qualitatem) alteratione, dubietate ve suborta, si ab Ecclesia mysterium illud colendum praecipitur, nullus debet dubitationi remanere locus: quia in utroque vis & ratio canonizationis viget, ut ex praedicta auctoritate deducitur.

Secunda auctoritas sit S. Thom. Doctoris Angelici (quem authores contrariae opinionis obseruant Principem) qui lib. 3. sent. dist. 3. quaest. vnic. art. 1. & in 3. p. sum. q. 27. ar. 1. sic loquitur: *Ecclesia non solemnizat nisi pro aliquo sancto, solemnizat autem Natiuitatem Beatae Virginis: ergo sancta nata fuit.* Quid aliud concludentius inueniri potest testimonium ad intentum?

§. 2. *Sanctitas Conceptionis Virginis unde Canonizata censenda sit.*

**P** R I M A Quoque probatur consequentia, scilicet instituta solemnitate Virginis Mariae, Conceptionem ipsam resultasse canonizatam ut quid sanctum. Primò, quia cultum, honorem, venerationem, siue adorationem Beatis, siue mysterijs instituere, aut praecipere Ecclesiam exhiberi, est pariter declarare homines illos, seu mysteria illa digna cultu, ac veneratione existere: sed nihil illo cultu, honore ve dignum est, nisi ratione sanctitatis, ac bonitatis: ergo Conceptio Virginis venerari instituta fuit, quatenus ipsa Conceptio extitit sancta. Maior est manifesta; & probatur minor per S. Thom. in 3. sent. dist. 9. art. 1. in corpore, ubi docet, cui debetur honor, esse ratione suae bonitatis



bonitatis, & att. 2. ex sententia Philosophi arguit, cultum non deberi, nisi rebus diuinis: ergo si Cōceptio fuit maculata peccato, in debite colitur; sed colitur rationabiliter ex constitutione Ecclesiæ: ergo quia sancta.

Probaturssecundò, ex autoritate sancti Ildephoni loco supra citato, vbi arguit, quòd si Beata Maria ab utero Matris sancta non prodijisset, minimè eius natiuitas colenda foret: ergo colitur ratione sanctitatis ipsius gloriosi natalitij: igitur & idè de Conceptione dicendum.

Probaturs terciò, autoritate totius Ecclesiæ, quæ in officio proprio, quod ordinauit ad celebrandum festum Virginis Cōceptionis pro vniuerso clero in 8. responso. sic inuocat Virginis patrociniũ: *Sentiant omnes tuum iuuamen quicumque celebrant tuam sanctam Conceptionem.*

Probaturs quarto, ex clara confessione etiam illorum Catholicorum, qui intrepidè conantur suadere dictã Virginis Conceptionem ab originali peccato haud fuisse immunem, ordinis scilicèt. Prædicatorum, & ex vniuersali eorum obseruantia: nisi enim hi cognoscerent, ac faterentur Romanam Ecclesiam colere, ac colendam proposuisse Virginis Conceptionem sanctã, nullatenus effugerent eandem festiuitatem Conceptionis vniuersæ Ecclesiæ concordés sub proprio ipso Conceptionis titulo celebrare, prout effugiunt, non Conceptionem, sed sanctificationem venerantes, atque colentes: quod non aliundè prouenit, quàm ex cognitione manifestæ illius veritatis: nempe Conceptionem Mariæ sanctissimæ celebrandi institutum, eadè Conceptionem sanctam profiteri: quod si ita non credunt, audire placeret, quam teneant singularitatis, disparitatisque rationem.

Si tamen dicatur, satis fuisse veneratione dignã Mariæ Conceptionem, non ex eo, quod ipsa Conceptio fuerit sancta, sed quatenus ipsa Conceptio est sanctissima Virginis. Respondetur non omnia, quæ conueniunt eidem personæ sanctæ, conuenire sanctitati eiusdè, conuenire namque Diuid Paulo persecutore extitisse Ecclesiæ, sed nõ cõuenit Pauli sanctitati. Ideò persecutio, quãuis quid Pauli, nõ celebratur ratione sanctitatis Pauli, quoniam fuit quid sanctitati repugnans: bene tamen Pauli cõuersio, quia sancta, imò Pauli sanctitatis exordium: cum nihil Ecclesiæ veneretur, neque venerari præcipiat, nisi ratione sanctitatis, secundum se præseindendo à sanctitate personæ, cui tale conueniat: vt planè probant superius dicta, & specialius Ildephonsi





phensi sententia concludens, quod nisi ipsa Dei genitrix sine peccato nata fuisset, minimè eius natiuitas colenda esset: ergo, si eiusdem Virginis Conceptionem Ecclesia non profiteretur sine peccato pie credere contigisse, minimè colendam proponeret: non ratione sui, quia quid maculatum; non ratione personæ, quia pro tunc peccatrix extitisset; nec ratione sanctitatis superuenientis, quæ non retrahitur ad tollendum, ne primus reatus iam semel incurfus non fuerit, quod nedum Dei est absolute potentia.

At urgebunt adhuc, Ecclesiam non celebrare festum Conceptionis Virginis Mariæ, sed sanctificationis sub illo Conceptionis titulo & die, eo quod, in quo sanctificata fuerit, ignoretur. Hanc adduxit excusationem D. Thom. in 3. p. q. 27. art. 2. ad 3. pro Ecclesijs particularibus dictum Conceptionis festum celebrantibus nõdum à Romana Sede institutum. Attamen hoc ita non credere, qui dixerint, facile suadeor. Si namque noscunt in Conceptionis titulo Ecclesiam celebrare, non Conceptionem, sed sanctificationem Deiparæ, equè possent & ipsi, prout sentit Ecclesia, sentiendo, vt sensu profitentur, pariter & voce cõsentire & dũ tanta Mater Virginis Conceptionem sanctam inclamat, in eodem præconio filios adeo veros cum matre cõuenire. Sed cum voce dissentiant, sanctificationem, non verò Conceptionem celebrando, ita & sensu dissentire viderentur. Quod verũ frægetur, id est aprisima vniformitatis occasio, vt præcipiatur, quatenus in sensu huius festiuitatis Ecclesiæ vnanimis eidem sint in voce conformes, quod si fugiant, quid senserint patet.

Insuper probatur, non solum post, verũ etiam ante institutionem Ecclesiæ, Conceptionis solemnitate ratione ipsius Conceptionis velut sanctæ solitam celebrari. Sãctus enim Bernardus Epistol. 274. ad Canon. Lugdunen. eos redarguit, quod ausi fuissent prædictam Conceptionis Virginis solemnitatem introducere inconsulta Romana Sede, sine qua nil nouum decet solemnizare absque temeritatis reatu. Quæ obiurgatio haud quamquam locum haberet, si Mariæ sanctificatio, non verò Conceptionis celebraretur ab illis, cum de sanctificatione dubitari nõ posset, cuius Natiuitas iam per totum orbem colebatur, præterquam quod de Conceptione naturali Virginis est Bernardi copiosus ibi sermo, vt legenti constabit.

In Ecclesiã quoque ipsam Virginis celebrare, ac celebrandam proposuisse Conceptionem proprie sumptam, ex pluribus fit manifestũ. Primò ex Bulla Sixti III. inter extravag. de reliq.



& ven. sanctorum incipiente, Cum præexcellsa, ubi sic loquitur: *Dignum, quin potius debitum reputamus* Omnes Christi fideles, ut omnipotenti Dea de ipsius immaculata Virginis mira Conceptione gratias & laudes referant, &c. Qui Pontifex idem miram Conceptionem appellat, quia mirabilem, ac præter naturalem ordinem à peccato originali immunem contigisse Ecclesia solemnizabat: alias eentim miram minime dixisset, si nihil in ea accidisset mirabile. Bein extravaganti sequenti, *Graue nimis, &c.* temerarios ausus publice prædicantium officium Conceptionis celebrantes peccare graviter, peruersos, ac scandalosos manifestare volens, inde sumit exordium, ac redargutionis fundamentum, nimirum, quod prædicta asseruerint; *Cum sancta Romana Ecclesia de intemerata Virginis Maria Conceptione publice festum solemniter celebret, & speciale, ac proprium super hoc officium ordinauerit*: ergo, quia quod Ecclesia celebrat de Conceptione, illi temerario damnabant, corripuntur, sed illi damnabant Conceptionis officium celebrantes peccare graviter: ergo, quia de eadem Conceptione festum instituerat Ecclesia, redarguuntur: alioquin si de Ecclesia intentione fuisset sanctificationem, & non Conceptionem solemnizare; neque illi damnaret festum, quod nunquam negarunt celebrandum, neque Ecclesia ita seuerè redargueret eos, qui quod illa celebrare intenderat, non damnarent.

Secundò quia, qui sanctificationem, non vero Conceptionem solemnizare Ecclesiam allegant, dicuntur ex eo quod solemnitas non decebat Conceptioni Virginis, arbitrati in originali fuisse conceptam, (vt expresse fatetur S. Thomas supra citatus) sed Ecclesie intentionis nunquam fuit tenere, neque docere illam maculam Virginem subisse (vt profiteretur in Concil. Tridentin. sess. 9. can. ult. in fin. imò præcipit dictas extravagantes Sixti III. quæ de Conceptione proprie loquuntur, obseruari) ergo, neque eius intentionis est, neque unquã fuit, non Conceptionem, sed sanctificationem solemnizare.



Probatur tertio, nam si Ecclesia non tenet Virginem in peccato fuisse conceptam: ergo neque indecens censuit illius solemnizari Conceptionem, quam maculatam non credidit: igitur non est, cur constringatur non Conceptionem, sed sanctificationem in die & titulo Conceptionis celebrari.

Probatur quarto, nam nulla ratione fulcitur, velle sanctificationem celebrare sub titulo Conceptionis: non ratione vocis,

bono . 2

C

cis,



17  
eis, quia proprius denominaretur proprio suo sanctificationis  
vocabulo, ut ex se patet: neque ratione temporis incerti, cum  
plures solemnitates celebrentur extra proprium diem, sub  
proprio tamen nomine: ergo idem disponi poterat de festo  
sanctificationis, si hanc, & non Conceptionem Ecclesia inten-  
derat celebrare.

Probatur quintò, quia vel Ecclesia Romana præcessit in  
decernenda solemnitate Conceptionis Virginis pro vniuerso  
Christiano populo, vel sacer Prædicatorum ordo in institu-  
endo festum sanctificationis eiusdem. Si præcessit Ecclesia, pla-  
num est, aliter posteriorem sensisse, qui aliter festum celebra-  
dum statuit: & è conuerso; ergo, vel Prædicatorum ordo no-  
luit Conceptionem Virginis celebrare iuxta sensum Ecclesie,  
sed sanctificationem: vel Ecclesia noluit sanctificationem in  
sensu illorum solemnizare, sed Cōceptionem, cum dispar hic  
colendi cultus minimè exhiberetur eidem.

Probatur sextò & vltimò, quia si tempore D. Thom. Eccle-  
sia celebraret Cōceptionis festum, nequaquam assereret, quòd  
in excusationem inferiorum Ecclesiarum dictum festum co-  
lentium adduxit, qui (ut supra monstratum extat) ex sola insti-  
tutione Ecclesie sanctitatem cuiusque ab ea solemnizati con-  
fitendam deducit; sed ne errorem tolerare Ecclesiam censere  
(iuxta propriam sententiam) in sanctificationis sensu festum  
illud sustineri fuit arbitratus, dum ipsa Ecclesia Conceptionem  
celebrandam non instituerat.

Tandem pro confirmatione eiusdem consequentis, sicut  
neque insolitū censeretur, ita neque improprium est dicere,  
canonizari mysterium, imò neque Conceptionem Virginis esse  
canonizatam, Suarez namque in 3. S. Thom. tom. 2. disput.  
3. sect. 5. pag. 24. lit. B. de eadem Conceptione sermonem fa-  
ciens, hæc inquit: *Tandem verò Ecclesia Romana ante 200. annos  
celebritatem hanc generaliter amplexa cultoribus eius singulares indul-  
gentias impertit: vnde quodammodo videtur Conceptionem Virginis  
canonizasse: Et sect. 6. lit. C. arguendo sic proponit: Quia Eccle-  
sia celebrando festum Conceptionis videtur canonizasse, seu autoritate  
sua declarasse, Beatam Virginem fuisse sanctam in ipso Conceptionis mo-  
mento: ergo vel iam hoc est de fide, vel saltem tam certum, quam in-  
dubitatum est summum Pontificem non posse errare in canonizatione  
sanctorum. Hæc ille.*



§. 3. *Quod de veritate sanctitatis cuiusque mysterij, siue viri sancti ab vniuersali Ecclesia solemnizati, aut canonizati, firmiter tenetur, idem de Conceptionis Virginis sanctitate tenendum ex pluribus demonstratur.*

**S**ecundum quoque probatur antecedens argumēti presentis, nempe nullatenus cuiquam licere asserere, seu credere aliquid sanctitati canonizatorum oppositum. Primo, quia quamuis aliquando quidam etiam ex Catholicis tenent, sicut posse falli summum Pontificem in canonizatione sanctorum, etiam si non erret secundum presentem iustitiam, per allegata & probata iudicium ferens, ut fuit August. Triumf. lib. de potest. Ecclesie, quest. 74. art. 4. Ioan. Driedo de var. dogmat. tom. 1. cap. 1. pag. 207. & glos. in cap. vnic. de reliq. & vener. sanctorum in 6. (qui licet credendum negent, posse tamen contingere affirmant) at recentiores firmissimè tenent, ad eò summum Pontificem in tanto canonizationis negotio non posse errare, ut contrarium credere, vel affirmare non solum temerarium valdè, atque scandalosum, amentisque esse asseuerent, quin & hæresim sapere. Huius sententia sunt grauissimi Prædicatorum Ordinis Doctores (quamplurimis alijs consultatis) Dominicus Bañes super 2. 2. q. 1. art. 10. dub. 7. vbi sic loquitur: *Temerarium est valdè, & scandalosum, & hæresim sapit dicere, quòd Papa, aut Cõcilium possit errare in canonizatione sanctorum. Sensus conclusionis est, non solum, quòd Papa non possit errare abutens sua potestate (hoc enim iam diximus esse hæreticum;) sed sensus est, quòd asserere aliquem sanctum canonizatum ab Ecclesia, aut Pontifice non esse in caelo, dignum est. pramissis censuris.* Hæc Bañes, qui paulò inferius reddit rationem, ob quam recentiores Theologi meritò decernunt hæresim sapere, asserere Ecclesiam in alicuius sancti canonizatione falsam fuisse.



Melchior Cano Episcopus Canariens. eiusdem Prædicatorum Ordinis, lib. 5. de locis Theolog. cap. 5. quest. 2. conclus. 3. eos qui Ecclesiam in canonizatione sanctorum errare posse dicerent, si non hæreticos, temerarios, impudentes, & irreligiosos arguit, & ab Ecclesia puniendos affirmat.

Secunda



55  
Secunda consequentia itidem patet ex adductis superius, ubi indubium fuit redditum de canonizatione sancti, ac de canonizatione mysterij, equè par esse iudicium: sed probatur amplius rationibus. Prima sit eiusdem Bañes (loco supra citato) edocentis, idè Papam, vel Ecclesiam in canonizationibus rō posse errare, quia non posset perniciosè leges inferre circa mores toti Ecclesie communes: & maximè referat ad communes Ecclesie mores, quod in canonizationibus nullatenus falsitas deprehendatur.

Secunda ratio sit d. Cano ubi supra asserentis, quod si vnum aliquod huius generis decretum indubium reuocare liceret (certe, ut ipse ait) Hieronymi, Ambrosij, & Augustini, & reliquorum Sanctitas in questione sine crimine reuocari posset: ergo si de decreto colenda Virginis Conceptionis totipraestito Ecclesie dubitate promittitur, imò negare cultu tanto Conceptionem illius esse dignam, equè quoq; licebit idem saltem dubitari de eiusdem Virginis Presentatione, & Assumptione; quod quam erroneum, absurdum, atque scandalosum esset, neminem vere piū plare potest.

Probatum vltimò: nam quanto colendi aliquem cultus vniuersalior conceditur, tanto colendi sanctitas certior iudicatur, ut patet experientia, sensus est. Non quod aliquo modo illius dubia sit sanctitas, cuius pro certis quibusdam tantum Ecclesijs conceditur cultus; sed certiore tracti, cuius pro vniuersali Ecclesia conceditur; sunt namque quamplures Beati nondum Catalogo sanctorum adscripti, quorum festa celebrant Romani Pontifices (& nouissime Sanctitas vestra) aliquibus Religionibus, Ecclesijsque particularibus tantummodo concesserunt (quæ concessio ad canonizationis differentiam, beatificatio denominatur vulgo.) Et tamen nunquam fuit permissum de horum sic Beatificatorum sanctitate teneri, siue asseri contrarium impune (immo, qui aliter loqueretur, vel sentiret, blasphemus, temerariusque merito censeretur) sed certior est sanctitas illorum Catalogo sanctorum iam adscriptorum, quorum solemnitates ex ordinatione Romanorum Pontificum pro vniuersali Ecclesia fuerunt institutæ: ergo minus licebit de canonizatis dubitari, quod de nondum canonizatis non licet. Sed sic est quod Conceptionis Beatæ Virginis sollemnitas, ut potè pro vniuersali Ecclesia instituta, & Catalogo sanctorum festo-



festiuitas cuiuscumque Beatificati: ergo certior est sanctitas Conceptionis, quam cuiusvis nondum canonizati: ergo quod contra Beatificatorum sanctitatem asseri non permittitur, neque contra Virginis Conceptionem permitti debet, vel si de hac licet, impunius & de illis licebit, quod ab sit.

Ulterius in honorem solemnitate Conceptionis Virginis concessa sunt indulgentiarum officium decantantibus, inter essentibusque, ut constat per extrau. 1. de reliq. & ven. sanct. sed indulgentiarum nullatenus conceduntur ad honorem vllius Beatificati, & nodum Catalogo sanctorum adscripti (ut de hac materia in Curia Romana nouerunt experti) ergo non solum vniuersalior, verum & excellentior est cultus Conceptionis: igitur quia certior sanctitas illius.

# §. 4. *Opinionem asserentium iudicium infallibile in canonizatione sanctorum, multiplici argumento suadetur corruui, si de Conceptione immaculata Virginis contraria sententia ulterius permittatur.*

**N**VNC igitur contra auctores supra citatos, ceterosque, errare non posse Ecclesiam in canonizatione sanctorum asserentes, simulque opinionis immaculatae Virginis Conceptioni contrariae se statotes geminam se mutuo destruentem sententiam asseruisse, haud immerito censebitur imputandum. Quomodo namque sustineri potest, quos audimus, legimusque damnare negantes veram, indubiamque canonizatorum ab Ecclesia sanctitatem de temeritate, scandalo, insania, ac penè haeresi, eosdem audire, legereque canonizatam ab Ecclesia Virginis Conceptionem defœdantes tamquam non mundam, neque sanctam: si enim ipsi possunt absque scelere vlllo solemnizatam ab Ecclesia Conceptionem credere, ac dicere non fuisse sanctam, quare & non tam ipsis, quam alijs de quocumque ab eadem Ecclesia canonizato, seu solemnizato, idem credere, dicereque licebit?

Sed respondebitur, ideò de Virginis Conceptionis sanctitate dubitari, adhucque contrarium sentiri sine crimine posse, & non de quocumque alio canonizato, quia de primo extat expressa auctoritas permissiua Ecclesiae in praedicta extrau. *Graue nimis, & in alia Pij V. Super speculam* de secundo verò minimè.

At contra: ergo veritas de sanctitate canonizati, ac solemnizati ab Ecclesia non est infallibilis, imò potest in his subesse falsum. Probatur sequela, quoniã aliàs nullatenus Ecclesia permetteret posse teneri contrarium, ut de Conceptione arguitur: ergo sententia sanctorum ildephosi,





& Thomæ afferentium, Ecclesiam nunquam solemnizare nisi sanctum, necnon Bañes, Cano, sibi que concordium tenentium circa predicta iudicium infallibile, destructa remanet. Hoc enim si verum esset, haud quaquam quod Ecclesia solemniter celebratione sanctum declarasset, fidelibusque celebrandum proposuisset, eisdem concederet, non solum celebrationem remanere, verum etiam solemnizatum fuisse quid sanctum non credere, si vellent, ut de Virginis Conceptione traditur.

# Si verò replicetur, adhuc canonizatum dici non mereri quod solemnizat Ecclesia cum permissione tenendi oppositum sanctitati solemnizati, ut de festo predicto Conceptionis Virginis constat, ut videtur insinuare Suarez supra allegatus tom. 2. in 3. p. S. Tho. disp. 3. sec. 6. (vbi ab eo proposito pro ratione dubitandi ex decreto Ecclesie solemnizantis Conceptionem B. Mariæ, eandem videri canonizasse, declarasseque in ipso Conceptionis momento fuisse sanctam, hinc que consequens esse hoc, vel iam esse de fide, vel saltem tam certum, quod indubitatum est, Ecclesiam errare non posse in canonizatione sanctorum. Respondet tandem, sententiam hanc de fide non esse, quia ipsemet (inquit) Pontifex, qui hoc festum approbat, declarat se solum probare sententiam illam, ut piam, magisque probabilem.

# Nihilominus mihi non probatur, quod Pontifex, qui festum Conceptionis primo instituit, & approbavit pro vniuersali Ecclesia, talem declarationem protulerit, qualem d. Suarez allegat. Si enim indubium est ante Sixtum Quartum electum anno 1472. & pro hac solemnitate indulgentias statuentem 6. anno sui Pontificatus in extrau. *Cum præ excelsa*) hoc iam festum fuisse institutum pro tota Ecclesia, ut ipsemet Suarez fateretur in dict. tom. 2. in 3. p. disp. 3. sect. 5. per hæc verba: *Tandem verò Ecclesia Romana ante 200. annos celebritatem hanc, (scilicet Conceptionis Virginis) generaliter amplexa, &c.* & idem asseuerat Card. Bar. in addit. ad Mart. sub die 8. Decembris, & constat planè ex d. extrau. vbi supponedo dictum iam festum institutum, & pro eo officium ab Ecclesia ordinatum iam, indulgentias concedit recitantibus, interessentibusque: consequens est dicere dictam solemnitatem ante Sixtum Quartum in tota Ecclesia ex Apostolica institutione solemnizari solita: Qui tamè Pontifex primo eam toti Ecclesie celebrandam proposuerit, ignorat (vbi dicitur Bar. vbi supra videtur confiteri), igitur eodem modo faciendum est ignorari, quod Romanus Pontifex, qui dictum festum primo instituit, & approbavit, declarauerit se solum probare dictam solemnitatem tamquam piam, ne canonizata censeretur, ut augurari videtur d. Suarez.

Cæterum, si dicatur d. Sixtus III. in extrau. *Graue nimis, de reliq. & ven. sanc. id egisse, nimirum approbasse dictam solemnitatem, sententiamque tenentium in ipso Conceptionis momento Virginem fuisse à*  
pecca-



peccato originali immuni tanquam piam, magisq; probabilem, mi-  
 nime tamen damnasse contraria, imò prohibuisse asserere hanc tenen-  
 tes vllum erroré, siue peccatum committere. Ideoque dictâ Conce-  
 ptioné Virginis nullatenus resultasse canonizatâ. Respódeo, hoc asser-  
 tui minimè propositam difficultatem soluere, neque Francisci Suarez  
 solutioni fauere. Nostri enim argumenti vis in eo maxime innicitur,  
 nempe, quòd instituta semel ab Ecclesia Conceptionis festiuitate, re-  
 sultauerit ipsa Conceptio quodammodò canonizata, adeò vt si de  
 ipsa dubitari liceat, sustineri nequeat opinio tenentium dubitari non  
 licere de aliquo ab Ecclesia canonizato. Etenim negare non potest  
 Conceptionis solemnitate prius fuisse ab Ecclesia institutam, quàm  
 dictus Sixtus Quartus eam approbando in dict. extrauag. *Graue ni-*  
*mis, permiserit teneri etiam oppositum: ex prædictis, & tenore Bullæ*  
*sic loquentis. Sanè cum sancta Romana Ecclesia de intemerata sem-*  
*perque Virginis Mariæ Conceptione publicè festum solemniter celebret,*  
*& speciale, ac proprium super hoc officium ordinauerit, &c.* Igitur, si  
 instituta semel solemnitate Conceptionis licuit Romano Pontifici  
 postmodum permittere teneri oppositum sanctitati Conceptionis in  
 dicto festo solemnizata: poterit & pariter quilibet Romanus Ponti-  
 fex rationabili ex causa de sanctitate alterius ab Ecclesia solemnizati  
 (de qua non sit aliqua determinatio de fide) idem aliquando permit-  
 tere: ergo quod Ecclesia solemnizat tanquam sanctum, vel sit per in-  
 stitutionem solemnitatis (vt de Natiuitate, Præsentatione, & Assum-  
 ptione Virginis, vel per solemnem canonizationem ( vt de pluribus  
 sanctis ) non est adeò certum, & indubium, quod non possit impu-  
 nè teneri contrarium, ex proposito exemplo ducta paritate ra-  
 tionis.

At, esto quod vltèrius insisteret Suarez, ideo se dixisse Pontifi-  
 cem, qui festum Conceptionis approbavit, non voluisse illud cano-  
 nizare, sed probare tantum, tamquam piè creditam immaculatam  
 Virginis Conceptionem, magisque probabilem: quia eo ipso quod  
 successor ( scilicet Sixtus Quartus ) dictum festum approbando  
 contrariam permisit teneri sententiam, alterutramque damnari  
 prohibuit, videtur se fuisse interpretatum Pontificis prædecesso-  
 ris ( quisquis ille fuerit ) dictum festum pro tota Ecclesia instituen-  
 tis, intentionem extirpasse tunc talem, qualem ipse in dicta extra-  
 uag. *Graue nimis*, insinuat. Sed neque hæc adhuc vrget instan-  
 tia, quoniam, vel prius quàm dictus Sixtus intentionem præ-  
 decessoris interpretaretur, sanctitas Conceptionis Virginis, ex  
 solemnizatione pro tota Ecclesia instructa sortita fuit certitu-  
 dinem, vt quid canonizatum, aut non. Si primum, ergo ve-  
 ritas





17  
ritas sanctitatis canonizati non est infallibilis, siquidem postmodum  
potest aliquando permitti teneri oppositum. Si secundum: ergo so-  
lemnizatio vniuersalis, absque expressa permissione oppositi ab Ec-  
clesia instituta non inducit certitudinem infallibile de sanctitate so-  
lemnizati: igitur de veritate alicuius mysterij, nondum de fide diffini-  
ta ab Ecclesia vniuersali solemnizati, poterit aliquando ab Ecclesia  
permitti (si ratio suadeat) teneri oppositum: ergo & idem de aliquo  
sancto canonizato: igitur iudicium Ecclesie in canonizatione sancto-  
rum non est infallibile. Cuncta ex se patent recte assequi consequentiae  
rationem.

Sed corroboretur amplius, quod si solemnizatio Conceptionis sine  
expressa permissione sentiendi oppositum ab Ecclesia generaliter in-  
stituta (vbi ab initio fuisse constat) non induxit infallibilitatem de san-  
ctitate eiusdem Conceptionis, eoquod postea fuerit ab Ecclesia illud  
oppositum teneri permittum, possit & idem contingere de alio myste-  
rio similiter solemnizato, necnon de aliquo sancto canonizato. Quod  
sic probo: supponamus, quod de sanctissimo ortu Beatæ Virginis ver-  
tebatur aliquando controuersia, vt contigit tempore sancti Ildepho-  
si: instituit tamen Romana Ecclesia solemnitatem Natiuitatis eiusdẽ  
Virginis absque damnatione, neque permissione expressa contrariæ  
sententiæ, vt colligitur ex auctoritatibus dictorum Ildephonsi, & S.  
Thom. supra adductis, qui pro certitudine sanctitatis dicti Natalitij  
præcipue allegant dictam institutionem, minime verò aliquam aliam dif-  
finitionem. Tunc sic, vel per dictam solemnizationem Ecclesie de dicta  
festiuitate fuit canonizata Natiuitas Virginis, tanquam sancta, aut nõ.  
Si fuit: ergo & per institutionem festi Conceptionis extitit eadem ca-  
nonizata Conceptio, de qua similiter controuertebatur (neq; aliquid  
refert controuersia fuerit inter Catholicos, vel hereticos, vel inter Ca-  
tholicos tantum, vel vtriusq; status promiscue) si nõ fuit canonizata Na-  
tiuitas Virginis: ergo inaniter nituntur sancti Ildephonsus & Thomas  
ex dicta solemnizatione Ecclesie conuincere negantes fuisse Beatam  
Virginem sanctam in ortu: cum similis Conceptionis eiusdem solemn-  
izatio sufficiens non fuerit ad oppositam prohibendam sententiam.

Insistant ulterius, qui tanti argumenti vi deuictos fateri verebuntur,  
& dicant, quod cum sanctitas Conceptionis Virginis aded esset opi-  
nabilis, & controuersia tempore institutionis festi pro tota Ecclesia, ac  
institutor Romanus Pontifex contrariam minime prohibuerit senten-  
tiam, videri, sub eadem tantum probabilitate, sub qua puritas Conce-  
ptionis defendebatur, eandem celebrare constituisse, exinde que tenẽ  
di oppositum, prout antea, remansisse permittum, vt experientia, sub  
sequente (que Sixti III. ac Pij V. decretales testari videntur.



Ceterum hæc instantia si vrget, magnum quoddam inuoluit incōueniens: si enim solemnizatio, seu canonizatio ab Ecclesia instituta de aliquo mysterio, seu viro sancto, de cuius sanctitate ante talem institutionē vertebatur dubium, siue contrarietas inter Catholicos, huiusmodi dubium, seu contrarietatem penitus non destituit suapte natura absque expressiori diffinitione de indubia sanctitate solemnizati, seu canonizati, ac prohibitione asserendi oppositum; consequēs erit, quod quando in præteritis siue futuris ab Ecclesia institutis, vel instituendis solemnitatibus, siue canonizationibus illorum mysteriorum, seu sanctorum, quorum dubia præcessit, siue præcedet de sanctitate sententia, sub eadem dubitatione coli ab Ecclesia decretum censeatur: igitur ex solemnizatione vniuersalis Ecclesiæ nullatenus comprobatur indubia sanctitas solemnizati contra sententiam sanctorum Ildephonsi & Thomæ, neque ex canonizatione infallibiliter liquet de beatitudine canonizati contra communem recentiorum Theologorum, qui de utroq; simpliciter, & absolute sentiunt infallibilitatem tenendam, minimè verò secundum quid (vt ita dicam) hoc est secundum piè magis opinantium iudicium, si oppositum sit aliorum, neutrum tamen nedum implicite diffiniendo.

Quod si verum esset, de beatitudine quorundam ab Ecclesia canonizarum, & beatificatorum adhuc dubitari liceret, de quorum integritate vitæ, sanctoque obitu, ac miraculorū gratia ante eorundē canonizationem, & beatificationem respectuē, haud desuere, qui detractorijs dubitarent, seu blasphemarent potius, palam argumentis quos sicuti tunc irreligiose offensos, ita & nunc indecens recensere certissimò, facile tamen sibi suggeret memoria cuiusque.

*§. 5. Permissio Ecclesiæ circa Conceptionem Virginis de alterutra sententia cur fuerit rationabilis pro temporis exigentia, manifestò fit.*

**N**ON modica quidem perplexitas affliget animum, qui tantum ruminat inconueniens: sed eadem immaculata Virgine adiutrice, insolubile penè visu facile enodabitur argumentum, simulque pars vltima probabitur conclusiōnis, supponendo, quòd sancta mater Ecclesia sapientissimi sponsi studio saemulatrix, vniuersa (controuersa præcipuè) disponere suauiter attendens, quæ non sunt de necessitate salutis credenda, necne sint, cum vtraq; pars certos suos obtinuit Catholicos defensores, vel utrosq; tolerantia sustinet, vel si quando inde scan-





24  
dali exoritur occasio, incendium, quod generat, fore suæ deter-  
minationis extinguit, si pars in parte, si totum in toto.

Sæpè quoque ipsam temporum successione finit circa eadè  
variare sententias. Hincque vno tēpore quādam vigere opinio  
nem, alio verò prævalere contrariam: & quod prima absque scā-  
dali periculo asserbar, posterior etiam hæresim redolere con-  
tendit; neutram adhuc Ecclesia damnante, neque amplectente  
determinatione saltē diffinitiva: vti liquet de adductis circa in-  
fallibilitatem Ecclesiæ in canonizationibus sanctorum, de qua  
in ipso adhuc volumine iuris extat glos. superius allegata de  
reliq. & vener. in 6. asserens, *Accidere posse errare Ecclesiam  
in canonizatione sanctorum*, cui opinioni aliquos adhæsisse Catholi-  
cos superius fuit monstratum, & nihilominus recentiores nunc  
hoc asserere temerarium, scandalosum, ac hæresi proximū esse  
affirmant. ex tēporis necessitate occasione desumpta. Cui cōso-  
nat illud Greg. hom. 26. lib. 2. super Ezech. scientiā spiritaliū Pa-  
trum per incrementa temporū accrescere, ideoq; Apostolos  
plus quā Prophetas de diuinis mysterijs cognouisse. Et addu-  
cto dicto Danielis c. 12. *Plurimi pertransibunt, & multiplex erit scientia*,  
concludit: *Quantò mundus ad extremitatem deducitur, tantò nobis  
æterna sapientia aditus largius aperitur.*

\* *Supra pag. 6.*  
Cum igitur de immaculata Virginis Conceptione alterutra  
pars acerrimos suos haberet propugnatores, qui nil ad iustitiam  
corde credendum, neque ore confitendum ad salutem necessa-  
rium affirmabant, seu negabant, quamuis Romana Ecclesia piè  
credendo immaculatam Virginis Conceptionem extitisse, eadè  
de solemnizare publico festo velut sanctā decreuerit, tenuerit-  
que (aliter namq; si sensisset, minimè ei festum dicasset solem-  
ne, quam sanctam non credidisset, vt supra probauimus) prudē-  
ter tamen oppositam nec reprobauit, neque prohibuit senten-  
tiā, quemlibet in suo sensu abundare permittēs: quia sicuti tūc  
temporis credere, siue asserere errare posse Ecclesiam in Cano-  
nizatione sanctorū tolerabatur; neq; adhuc per diffinitionem  
saltē Ecclesiæ damnatum extat, ita, & hoc Cōceptionis festo  
ab Apostolica Sede instituto, (quod canonizationi equipollere  
satis iam liquet) contrarium tenere, siue affirmare permisit;  
scandalo tamē secluso, cui postmodum in dictis extrauag. *Gra-  
ue nimis, &, Super speculam*, opportuno obuiauit remedio.



§. 6. *Ex concordia sententia asserentium de canonizatorum sanctitate hisce maximè temporibus scandalosum esse dubitari, conuincitur idem nunc de sanctitate Conceptionis Virginis prohibendum.*

**N**unc verò, cum tot Catholicissimi præcones Ordinis Prædicatorum, præcipuè vociferent tolerandam non esse, imò damnandam illorū doctrinam, qui errare posse Ecclesia canonizando tenent: & canonizatio tam sit circa personam, quàm circa mysterium, vel quid simile, illaq; consistat in solemnizatione publica instituta ab Ecclesia vniuerso fidelium cœtui proposita (vt supra dictum fuit) valdè dignum est, quod tati filij circa tatum edocent negotium, benigna mater amplectatur, amplectendoq; in posterum prohibeat nullū deinceps audere contra sanctam Virginis Conceptionem tenere, neque asserere, quod de quocumque alio ab Ecclesia festo instituto, siue canonizato, non permittitur.

Vt enim superius tradidimus ex Diuo Gregorio, si incrementa temporū sciētia faciunt accrescere singulariū hominū: hincq; variare licet sententias, eo quòd vno tempore improbabile, alio probabile videri queat, vt asserit Suar. tom. 2. in 3. p. disp. 2. sect. 5. prope fin. Sic & Ecclesiæ Christi tempus auget sapientiā, vt Spiritus Sanctus, aliamque, atq; aliam doctrinā lucem omnibus oculis patefacit, vt eadem fide manēte in cognitione veritatis, sicut & in reliquis virtutibus paulatim proficiscamur, vt ex Tertulliano dixit Canis. lib. 7. de B. Virgine, c. 7. exindeque irreprehensibilis perseueravit Ecclesiæ auctoritas, quā iure optimo de cetero iuxta varietatem temporum similia quoque variare statuta, vt dicitur in c. nō debet de consang. & affinit. & de hoc eodem Conceptionis festo manifestò apparet, quia primū simpliciter fuit institutum postmodū anno 6. Pontificatus Sixti III. indulgentijs condecoratum, & anno 13. eiusdem Pontificatus cum censoris prohibitum alterutram damnari sententiā, & vltimò Pius V. in concionibus, & scriptis vulgaribus de alterutra disputare, etiā altera inoffensa sub eisdē cēsuris interdixit: ergo, & nunc prout occasio exigit, licebit de eodem festo aliquid aliquando permissum prohibere.

Facet prædictis Illustrissimus ille Cardinalis Turris (erit Cremona) resurgens, Ordinis Prædicatorū splendor, qui in 3. part. de consecr. dist. 3. cap. 1. numer. 21. ad §. differens penes solum Rom.





21  
Romanum Pontificē canonizandi residere potestatem, in hæc  
verba loquitur: *Ad illum ergo pertinet sanctorum canonizatio, per  
quem omnia membra Ecclesie uniantur in unitate fidei, ne sit inter fi-  
deles scisma de sanctis commixtis, sicut inter Corinthios de Baptizatis,  
quo ñ aliqui dixerunt. Ego sum Pauli, ego sum Apollos, ego vero Cepha; sicut  
una fides debet esse totius Ecclesie, (secundum illud 1. ad Corinth. 1.  
Id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis scismata) ita debet  
esse unus Religionis cultus in tota Ecclesia, ut non sint in ea scismata, &  
quem quidam dicunt sanctum, alij reprobum dicant. Hæc ille. Quid er-  
go cōclusioni propositæ congruentius tanti hanc Doctōris sen-  
tentiæ nil aliud quidem, nisi iuxta tam salubre dictum Romanæ  
Ecclesie scismata dissipans determinatio; ne quam quidā (imò  
penè omnes) dicunt Conceptionem sanctam & immaculatam,  
alij peccato affectam, atque defœdatam dicant.*

Non quasi exigatur de Cōceptione Virginis velut de fide te-  
nenda diffinitio: sat namq; erit si monstruosa disparitate prohi-  
bita pulchra introducatur vniformitas circa cultum festi prædi-  
cti, ut quod Romanæ placet Ecclesie in illo decātare, nulli infe-  
riori displiceat, & quæ dignum, iustum que fatetur, *In Conceptione  
Beate Mariæ semper Virginis, Deum collaudare, benedicere, & præ-  
dicare, neminem sibi fidelem permittat, absimili voce, sensuq;  
contrario Deum nomine Cōceptione Virginis, quia nō sancta,  
sed in sanctificatione laudandum profiteri: sed omnes id ipsum  
dicamus, id ipsum sentiamus, in id ipsumque convenire mater,  
magistraque compellat Ecclesia, quæ publica oratione pro fi-  
lijs precatur: quatenus in eis semper sit vna fides mentium, ac  
pietas actionū. Quod quam per necessarium sit, nova scismata,  
atque scandala super hoc eodem Conceptionis mysterio in Bæ-  
tica Hispaniæ clarissima Prouincia suborta manifestant, tantū  
que remedium exagitant. At, quæ iuxta ingenioli nostri ca-  
ptum erga immaculatā Virginem nos fecit scribere deuotio,  
ac zelus pacis, si quid repererit indignum, suprema tua, Beatissis-  
me Pater, emendet correctio: cui dicta subiacent, ut autor.*





Cuenta 318 folios útiles foliados  
20 Em.º 1905

319 fol. + fol. 251 à 258 rep. + 317 bis + 27 huj. en bl.  
faltan los fol. 278 y 279 (rest. compl.º)  
15 - Mayo - 1912





Handwritten text in red ink, possibly a date or reference number, located at the top of the page. The text is faint and difficult to decipher but appears to include the year '1902'.

A faint purple circular stamp or seal, partially obscured by the torn edge of the paper. The text within the stamp is illegible.











CAJA -2  
65